

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio I. An ens respectu inferiorum sit univocum, vel analogum?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P A R S IV.

Quæstiones Principales

ex

METAPHYSICA.

QUÆSTIO I.

An Ens respectu inferiorum sit univocum, vel analogum?

SENTENTIA I. Ens respectu inferiorum est univocum, non analogum. Ita Phylosophia Burgundica *metaph. tr. 1. disp. 2. q. 1. concl. 1.* Benedictus Schmier *meta. contr. p. 1. d. 2. contr. 3.* Arriaga *disp. 11. log. sect. 4.* Gervasius *met. q. 1. a. 3.* Amort *q. 3. de prædic.* Oviedo, & plures alij ex RR.

FUNDAMENTA

1. Ratio per nomen *Ens* significata eadem est in inferioribus entis, DEO

Y 4

&

& creatura, substantia & accidente; ergò ens respectu inferiorum est univocum.

Ant. prob. 1. Tunc aliqua ratio, & conceptus objectivus idem est in pluribus, quando in ea ratione conveniunt omninò: atqui substantia, & accidens omninò conveniunt in *ratione entis*, licèt differant secundum rationes formales *essendi per se*, & *essendi in alio*: similiter DEus, & creatura omninò conveniunt in *ratione entis* ut sic, licèt differant secundum rationes particulares *essendi à se*, & *essendi ab alio*; ergò ratio entis est eadem in DEO, & creaturis, in substantia, & accidente.

Prob. ant. 2. Ratio *animalis* in homine, & bruto est eadem, licèt rationes speciales *rationalitatis*, & *irrationalitatis* sint diversæ; ergò etiam non repugnat rationem *entis* in DEO, & creatura esse eandem, licèt rationes *aseitatis*, & *abaleitatis* sint diversæ.

Prob. ant. 3. Ens ut sic in suo conceptu dicit non repugnantiam ad existendum: sed hæc non repugnantia æquè convenit DEO, ac creaturæ; ergò convenit DEO, & creaturæ ratio entis

tis ut sic : sed in ratione entis ut sic nulla apparet diversitas ; ergò DEus , & creatura per rationem entis ut sic conveniunt univocè.

Nec dicas 1. Ens diversimodè esse applicabile DEO, & creaturis; ideò est analogum.

Contra est 1. Ens ut ens nihil aliud dicit , quàm esse : atqui hoc DEO , & creaturæ æqualiter convenit ; ergò diversa illa applicabilitas nequaquàm provenit ab ente ut sic , sed à differentiis &c. consequenter manet verum , ens ut ens esse univocum respectu DEI , & creaturæ.

Contra est 2. Major perfectio , & afeitas convenit DEO , non ideò quia ens est , sed quia tale ens est , quia DEus est. Ergò ratio entis ut sic non importat diversitatem.

Nec dicas 2. Ens ut sic saltem implicitè dicere plenitudinem essendi ; ergò nequit creaturæ convenire univocè.

Contra est. Si ens ut sic dicit plenitudinem essendi, sequitur id esse æquivocum , quod tamen Thomistæ negant. *seq. prob.* quia plenitudo essendi

per ens ut sic juxta Aa. significata nullo modo convenit creaturæ ; ergo ens respectu creaturæ erit æquivocum , non analogum , quia ad analogiam requiritur , ut ratio significata sit partim eadem , partim diversa.

2. Diversus modus essendi à se , & ab alio , per se , & in alio , non repræsentatur in conceptu entis ut sic ; ergo ens secundum hunc conceptum est univocum respectu DEI , & creaturæ , accidentis , & substantiæ.

Ant. prob. 1. Ens in suo conceptu objectivo perfectè præscindit à differentijs ; ergo ille conceptus non repræsentat sive implicite , sive explicitè differentias entis , consequenter nec diversos modos essendi à se , & ab alio. *ant. prob.* si in conceptu formali entis seu implicite , & in confuso , seu explicitè , & clarè includuntur differentię entis , aseitas , & abaleitas , perseitas , & inaleitas , sequitur ens nec de DEO , nec de creaturis prædicari posse ; hoc est contra communem hominum æstimationem ; ergo &c. *prob. seq.* quia de DEO nequit prædicari inaleitas ; atqui inaleitas juxta Aa.

in-

includitur , & repræsentatur in formali conceptu entis , ergò sicut nequit de DEO prædicari *inaleitas* , ita pariter non poterit de DEO prædicari ens , in cujus formali conceptu includitur *inaleitas* Idem proportionaliter dicas de prædicatione entis respectu creaturæ , substantiæ , & accidentis &c.

Prob. ant. 2. Conceptus entis ut sic contrahitur ad sua inferiora , ergò non repræsentat ipsa inferiora , aliàs contraheretur ad seipsum : & inter contrahens , & contractum debet esse aliqua diversitas. *ant. prob.* ratio superior contrahitur ad sua inferiora , sed ens est ratio superior respectu DEI , & creaturæ (secundum nostrum modum concipiendi) respectu substantiæ , & accidentis ; ergò &c.

Prob. ant. 3. Potest concipi ratio entis , non conceptâ ratione aseitatis , & abaleitatis ; ergò ens formaliter præscindit à suis inferioribus.

Confirm. Si concipio ens ut ens , non concipio DEum , nec creaturam , nec accidens ; ergò sicut ens ut ens non est DEus , nec creatura , nec substantia₂

tia, aut accidens; ita nec in conceptu entis includuntur differentiae.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant. ad prob. 1. neg. min.* Quia ratio entis formaliter imbibitur in rationibus particularibus, & rationes particulares includuntur in conceptu formali entis, cum rationes particulares h. e. differentiae sint utique entia; ergò sicut Deus, & creatura, substantia, & accidens differunt in modis, & rationibus particularibus essendi à se, & ab alio, essendi per se, & in alio, ita etiam differant necesse est in ratione communi entis.

Ad prob. 2. neg. conf. & parit. Quia rationalitas, & irrationalitas non includunt formaliter animal, sicut aseitias, & abaleitas includunt formaliter ens.

Ad prob. 3. Resp. 1. d. min. Et inæqualiter participatur, con. participatur aequaliter, neg.

Resp. 2. Neg. min. Quia ratio entis convenit DEO independenter ab alio, creaturae verò solùm dependenter, ergò analogicè. adde: Imago Cæsaris picti tantum analogicè convenit cum Cæsare reali, quia ratio analoga intrin-

secè est in solo analogato principali, in Cæsare reali, in imagine verò est tantum extrinsecè, & imitativè; ergò etiam, cum creatura sit ens, ad imitationem primi entis, & imago DEI, ens respectu DEI, & creaturæ solum erit analogum.

Ad Contr. 1. d. maj. Ens nihil aliud dicit, quàm esse *quoad explicitum*, trans. *quoad implicitum*, neg. Nam ens absolute significat, & importat *omne quod est*, etsi non omnia *explicitet*; cum ergò etiam differentiæ *sint*; ergò etiam eadem significat, & quidem in conceptu formali entis est aliqua diversitas.

Nec dicas: Etiam animal implicitè dicere differentias, *rationale*, & *irrationale*, & tamen non esse analogum, sed univocum; ergò etiam ens &c.

Resp. Animal dicere differentias non *actu*, sed solum in *potentia*, quatenus est in potentia ad rationale, & irrationale: at verò ens differentias suas, utpote *formalissimè* entia, actu dicit, & in suo conceptu formali includit.

Ad Contr. 2. Neg. conf. Quia hoc non obstante ens ut sic includit omne, quod est ens, ergò etiam differentias.

Item

Item differentiae includunt ens in suo conceptu speciali; ergò &c.

Ad contr. ult. neg. cons. Quia præter plenitudinem essendi etiam dicit aliquam convenientiam in ratione essendi saltem *in confuso*, seu *unitate confusionis*, quia illam plenitudinem essendi non significat explicitè.

Ad 2. d. 4. Non repræsentatur explicitè, con. implicitè, neg. quia enim *aseitas*, *abaleitas* &c. sunt entia, idè etiam implicitè significantur per ens.

Ad prob. 1. Neg. ant. Quia differentiae entis non sunt nihil, ergò sunt formaliter ens; ergò saltem confuse involvuntur in conceptu objectivo entis.

Ad prob. Resp. 1. Neg. seq. Quia quando prædico id, quod *explicitè* in conceptu entis includitur, h. e. sensum *confusum* entis, in quo confuse conveniunt DEUS, & creatura; consequenter, si de DEO prædicem ens, non eo ipso prædico abaleitatem, quia hæc non *explicitè* significatur per ens.

Resp. 2. Neg. seq. ad prob. d. min.
Includitur *determinatè*, & quasi copulative

rive unà cum aſeitate, neg. *indeterminatè*, & *quasi diſjunctivè*, h. e. ens ſignificat aliquem modum eſſendi, quilibet ille ſit, con. cùm ergò, inquit P. Renz *hic a. 2. ad 1.* per actualem prædicationem deſcendit ad inferiora, modus ille eſſendi, qui præſuppoſitivè, & antecederet ad actualem prædicationem erat indeterminatus, determinatur alius in DEO, alius in creaturis, alius in accidente, alius in ſubſtantia.

Ad prob. 2. d. a. Contrahitur ad inferiora *contractione propriè dictâ*, & per differentiam propriè dictam, quæ formaliter non ſit ens, eo modo, quo animal contrahitur ad rationale, quod formaliter non eſt animal, neg. *contractione impropriè dictâ*, & ſolum per *majorem explicationem*, con. ant. neg. conf. quando ergò ens prædicatur de DEO, tunc id, quod antea actu quidem, ſed confuſè tantùm in generali conceptu entis includebatur, diſtinctè, & explicite concipitur, & de ſubjecto prædicatur; quæ contractio non eſt propriè dicta: ad hanc enim requiritur, ut differentia con-

trahens

trahens rationem contrahendam non includat formaliter. *Id*, quod additur, inter contrahens, & contractum debere esse diversitatem, *dist.* debet esse diversitas imperfecta, h. e. secundum explicitum significatum, con. perfecta, h. e. ut unum non includatur in conceptu formali alterius, *subd.* debet esse perfecta in contractione propriè dicta, con. in contractione impropriè dicta, neg.

Ad prob. neg. min. Quia enim DEus, & creatura in ratione entis non conveniunt simpliciter, & absolute, sed solum secundum quid, & proportionaliter, ideò nec ens est propriè ratio superior, nec DEus, & creatura, substantia, & accidens propriè inferiora.

Ad prob. 3. D. 4. Nec implicite concepta ratione aseitatis, neg. explicitè non concepta, con. a. n. c. eadem est responsio *ad confirm.*

SENTENTIA II. Ens respectu inferiorum est *Analogum*, non *univocum*. Ita Vasquez 1. p. disp. 121. cap. 2. Fonseca 4. met. c. 2. q. 2. Pereira, 2. physic. Hurtado disp. 9. log. Babenstuber

Ituber *met. disp. 1. a. 2.* Renz *met. q. 1. a. 3. & 4.* Compt. *disp. 40. f. 5.* Eminent. Card. Sfondrati *met. f. 2. n. 7.* & Ptolomæus *disp. 3. Theol. Nat. f. 2.* Musæum Peripath. S. G. *met. f. 2. q. 1. res. 3.* Calagurritan. *diversam pro diversa entis consideratione sententiam tenet Log. tract. 4. disp. 18. c. 5.* Hanc communiter docent Thomistæ post S. Thomam *1. p. q. 13. a. 5.*

FUNDAMENTA.

1. Licet *Ens* intrinsecè reperiatur in DEO; & creaturis (DEus enim est ens; & creatura est ens) & quoad hoc conveniant in ente; differunt tamen in ipsa ratione entis; nec tantum per differentias; ergò *Ens* respectu DEI, & creaturæ non est univocum. *Ant. prob.* *Ens* infinitum; à se, & finitum ab alio inter se differunt: sed DEus in ipsa ratione entis est *Ens* infinitum; & à se, creatura verò in ipsa ratione entis est finita, & ab alio; ergò in ipsa ratione entis differunt.

Z

2. Ra-

2. Ratio entis non potest de DEO, & creatura, substantia, & accidente univocè prædicari; ergò &c. *Ant. prob.* Ratio entis, ut est in creatura realiter participata à DEO, ente im- participato, non potest de DEO prædicari; ergò &c.

3. *Ex transcendentia entis*: Non potest Ens abstrahi ab inferioribus; ergò non est univocum. *Prob. ant.* Factâ abstractione, vel remanet aliquid, vel nihil? si nihil, non est facta abstractio, sed totum sumptum est; si remanet aliquid, remanet ens, ergò ens non est abstractum.

4. Ens non habet conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus, sed ea actu includit in suo formali conceptu; ergò non est univocum. *Ant. prob.* Quia etiam differentiae sunt entia &c.

5. DEus est Ens essentialiter independens, & creatura est ens essentialiter dependens; ergò ratio entis non est omninò eadem in DEO, & creatura, ergò analogà &c.

6. Si ens est univocum respectu inferiorum, erit genus respectu decem
Præ-

Prædicamentorum, & debebit in arbore prædicamentali in supremo loco collocari: sed hoc non est receptum à Philosophis; ergò nec univocatio entis recipi debet.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant. ad prob. d. min.*
 DEus in ratione *specifica* entis est ens infinitum, con. in ratione *generica* subd. est ens infinitum *realiter*, & à parte rei, con. *ex parte nostri intellectûs*, & *modi concipiendi*, neg. m. d. conf. ergò in ipsa ratione *specifica* entis ut *talis* differunt, con. in ratione *generica* entis ut *sic*, neg. conf. dum ergò concipimus *ens ut sic*, non concipitur à nobis *infinitas* entis, idè ex parte nostri intellectûs *Ens ut sic* in ratione entis non est *infinitum*; aliàs in eadem ratione esset simul *finitum*, & *infinitum*, quod dici nequit. *Ens* igitur ut *sic* non *negat* quidem *infinitatem*, & *finitatem*, sed abstrahit, & præscindit ab ijs, & sic est commune DEO, & creaturis.

Nec dicas 1. Illa ratio entis ut *sic* abstrahens ab infinitate non convenit

DEO; ergò non est communis DEO,
& creaturæ, consequenter nec uni-
voca.

Resp. *Neg. ant.* Quia ratio *entis* ùt
sic nihil aliud dicit, quàm quòd res
habeat *esse*: atqui DEus habet *esse*; er-
gò ratio *entis* ùt *sic* convenit DEO.

Nec dicas 2. Illa ratio *entis* ùt *sic* dicit
ens *finitum*: sed ens finitum DEO non
competit. ergò nec ratio *entis* ùt *sic*
prob. maj. ratio *entis* ùt *sic* dicit *Ens*
non infinitum; sed *Ens non infinitum* est
finitum; ergò ratio ùt *sic* dicit ens *fi-*
nitum.

R. 1. *Neg. maj. ad prob. d. maj.* ra-
tio *entis* ùt *sic* dicit ens *non infinitum*,
negativè, h. e. *positivè* negando, & ex-
cludendo ens infinitum, neg. dicit
præcisivè, h. e. præscindendò, & ab-
strahendò, con. maj. dist. etiam min.
sed ens *non infinitum* est *finitum*, si par-
ticula *non* sumatur *negativè*, h. e. *po-*
sitivè negando &c. con. min. si su-
matur tantùm *præcisivè* &c. h. e. ab-
strahendo ab infinitate, neg. min. &
conf.

R. 2. *Ad eandem prob. maj. neg. maj.*
Quia ratio *entis* ùt *sic* nec dicit ens
non

non infinitum, nec dicit *ens finitum*, sed abstrahit ab utroque, & præscindit, *dicere* autem non est *præscindere*, aut abstrahere, sed est positivè aliquid affirmare; quia ergò *ens ut sic* non affirmat positivè *ens non infinitum*, ideò nec propriè dicit *ens non infinitum*: sed purè dicit rationem entis *ut sic*, h. e. *esse*; quia ergò DEO *enti infinito*, competit *esse*, ideò verè competit ei ratio entis *ut sic*, h. e. *esse*; Ens enim infinitum utique est *ens*, & habet *esse*.

Ad 2. *Neg. ant.* Quia in actuali prædicatione prædicatur de DEO ratio *abstracta*, in suo formali conceptu præscindens ab *esse finito*, vel *infinito*, participato, vel imparticipato, non verò prædicatur ratio entis contracta ad DEum.

Ad 3. Dico, hunc adversariorum Achyllem non tanti esse roboris, ut primâ fronte videtur, re etenim maturè perpensâ ejus infirmitas parebit, dupliciter quippe potest intelligi, & quæri, an factâ abstractione aliquid remaneat, vel nihil? 1. An aliquid remaneat in differentiis *in statu reali*, & à parte rei? 2. An aliquid



remaneat in statu cognitionis, & in intellectu? Ad primum respondeo, utique DEum manere verè ens, etiamsi ego per intellectum ens in communi concipiam; mea enim cognitio nec DEO, nec creaturæ rationem entis, seu esse demit. Ad secundum dico: mirabilis videtur hæc quæstio: Tu quæris, an si concipiam ens in communi, non concipiens DEum, vel creaturam, adhuc concipiam DEum ut ens, vel non concipiam ut ens? hîc est enim sensus illius quæstionis: an factâ abstractione DEus in intellectu maneat aliquid, vel non? sed qualis hæc quæstio? ego, si concipio ens in communi, h. e. si abstraheo &c. omninò non concipio DEum, vel creaturam; cur ergò quæris, an concipiam ut ens, vel ut nihil? datur ergò medium, scilicet nec concipio ut ens, nec ut nihil, sed omninò non concipio.

Si autem sensus quæstionis sit iste: an factâ abstractione differentia entis sit adhuc cognoscibilis ut aliquid? tunc

Resp. 2.

Resp. 2. Remanere aliquid, nempe formalitatem entis, sive *ens in obliquo*, non *in recto*. *Ad rationem in contrar. dist. eod. mod.* remanet *ens in recto*, neg. *in obliquo* con. d. conf. ergò *ens* non est abstractum *in recto*, neg. *in obliquo*, con. vel *subdist.* non est abstractum abstractione, seu *præcisione positivâ*, con. *negativâ*, neg. conf. *præcisio positiva* est, si creaturam, v. g. accidens concipiam *ut non ens*, *præcisio negativa*, ut hîc intelligitur, est, si differentias nullo modo concipiam, sed concipiam solum *ens in communi*, nihil cogitando de differentiis.

Igitur à parte rei differentia entis sunt *entia*, sed *indistincta* à toto ente, & subiecto. In conceptu verò sunt *formalitates entis*, *entia in obliquo*, h. e. aliquid *entis*, & modi intrinseci determinantes *ens in communi* ad talem speciem entis.

Dices: Differentia entis est *ens*, ergò includitur in conceptu universali entis, consequenter ex parte conceptûs communis entis non est omnimoda convenientia, cùm ibi includatur differentia.

Resp. 1. D. a. Est ens *in obliquo*, h. e. est *determinativum*, & *formalitas* entis, con. ant. est ens *in recto*, neg. differentia enim per se sola non potest dari in rerum natura; non enim potest dari sola *perseitas* &c. quin detur substantia &c. *dist. etiam cons.* ergò &c. secundum id, quod dicit *in recto*, neg. cons. secundum id, quod dicit *in obliquo*, con. cons. differentia ergò includitur sub ratione communi entis, non quatenus est *differentia*, & *talitas* entis, sed *quoad obliquum* scilicet *ens*, cujus est differentia.

Resp. 2. retorq. arg. Si differentiae sunt *ens*, vel includunt aliquid præter rationem entis, vel nihil præter rationem entis? si nihil præter rationem entis includunt, ergò malè vocantur *differentia*, cum omnia conveniant *in ratione entis*: si verò aliquid includunt præter rationem entis, iterum quæro, an illud aliquid in differentiis præter rationem entis inclusum, sit ens formaliter, vel non? si est ens, ergò per hoc ens (in quo omnia conveniunt) differentiae iterum non constituuntur in ratione dif-

differentiæ ; & redit eadem quæstio : an hoc ens præter rationem entis aliquid aliud includat , vel non ; & sic dabitur processus in infinitum. Si autem illud aliquid in differentijs inclusum non est ens ; ergò aliqua differentia non erit formaliter ens. ergò habemus intentum.

Confirm. Hæc responsio 1. Differentia est id , quo unum ens differt ab alio : sed in ratione entis nulla res differt ab altera ; ergò differentia formaliter non est ens.

Confirm. 2- Si differentiæ sunt entia , ergò habent , in quo inter se conveniunt , & disconveniunt : convenient enim in ratione entis , & disconvenient in ratione differentiæ , sed differentiæ formaliter sumptæ non habent aliquid , in quo conveniant ; eo ipso , quòd sint differentiæ.

Ad 4. *Neg. ant. ad prob.* Patet ex dictis.

Ad 5. Dico , hanc dependentiam , & independentiam se tenere ex parte differentiæ , non ipsius conceptûs communis entis *ut sit* ; hic enim non

repræsentat dependentiam, aut independentiam.

Ad 6. Respondet P. Schmier *metaph. controvers. p. 1. d. 2. contr. 3. n. 39.*

Ens non esse propriè genus, neque speciem, neque aliud prædicabile, vel universale logicale, sed per omnia transcendens. Quia genus est natura de pluribus specie differentiibus prædicabilis, de pluribus, non de omnibus: atqui ens est prædicabile non tantum de pluribus specie differentiibus, sed de omnibus excogitabilibus speciebus, & individuis. ergò &c.

Fundam. princip. Sent. 1. DEus, & creatura in ratione entis ut sic, quæ nihil aliud dicit, quàm esse, seu non repugnantiam ad existendum, omninò conveniunt; ergò ens respectu DEI, & creaturæ est univocum. Falsum enim est, in conceptu entis communi includi, & significari plenitudinem essendi; aliàs ens non posset de creatura prædicari, essetque æquivocum. Omnis ergò diversitas se tenet merè ex parte differentiarum, non ex parte conceptûs entis ut sic.

Fun-

Fundam. Sent. 2. Ens in suo formali conceptu includit omne, quidquid est ens, consequenter etiam differentias, quæ sunt formaliter entia, ergò *in ipso formali conceptu entis ut sic* est aliqua diversitas, & non solum *ex parte differentiarum*; ergò ens non dicit conceptum communem univocum, sed analogum, quia partim eundem, partim diversum.

QUÆSTIO II.

*Quomodo inter se distinguantur gradus
Metaphysici?*

SENTENTIA I. Gradus Metaphysici distinguuntur *formaliter ex natura rei*. Ita Anton. Trompetta *in 9. metaph.* Joann. Bapt. Molerius *in tr. de univers.* Anton. Andreas *7. metaph. q. 17.* Scotus *in 1. dist. 2. q. 7.* Mayronis *quodl. 7. dub. 1.* Faber *in sua Theol. l. 1. dist. 2. q. 7.* & ex parte Fonseca, communiterque Sc. Sc.

FUNDAMENTA.

1. Animalitati, & rationalitati in Petro ante omnem operationem mentis